
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS II.

EXERCITATIO III.

De

ORIGINE

FORMARUM IMMATERIALIum, seu animæ rationalis in homine

Prior & Adstructoria

Philosophica & Scholastica

Ad disceptandum in Gymnasio Gedanensi proposita

Præside

HENRICO NICOLAI

Philoso. Professore Publico

Respondentis vices obtinente

CONSTANTINO KLOEN

Dantiscano Borusso.

Ad diem 20. Decembris. S. N.

In Auditorio Philosophorum

Horis ab 7. matutinis.

Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta ANNO 1636.

Miscellaneorum Decadis II. Exercitatio III.

De Origine animæ rationalis.

Prior s. adstructoria.

I.

NOn injuriâ docuit *Apollinis etiam judicio sapientissimus æstimatus* Socrates, animorum formam magis amandam, quàm corporum: *eamque voluptatem, quam in nobis gignit venustæ faciei conspectus, ad longè pulchriorem, sed latentem animi speciem esse transferendam, ut refert* Erasmus in apopht. Socr. l. 3. §. 36. *Verè enim â* Salustio *in* Catilinâ c. 1. *dictum:* Omnem nostram vim in animo & corpore sitam esse: Sed animi imperio, corporis magis nos uti servitio. *Ac illius quidem cum Dijs, hujus cum beluis societatem nobis naturam communicavisse. Quò magis in animi noscendâ naturâ homini elaborandum, ob quem verè, ut* Atheniensis *quidam apud* Platonem 1. de legib: *docet, miraculum quoddam divinum in animantium genere hominem existimare oportet. Sive enim naturam & conditionem animi humani respicias, spiritualis, immaterialis, immortalis est: sive vim, omnium capax, & vinculo quodam divino superioribus adunatus est: sive facultates, plena est omnium potentiarum viriumquè præstantissimarum officina, & quæ ad quævis occupanda bona malaq; averruncanda instructissima est helepolis. Ergò postquam materialium formarum originem præcedente diatribe*

ſpeculati ſumus: jam in nos ipſos reflexi tàm præſtantis animi noſtri originem atq; defluxum curioſiùs rimemur. Id jam conſtitutum erit. Ac primò quidem κατασκευαστικῶς ſeu aſtructoriè, poſt & ἀνασκευαστικῶς ſeu deſtructoriè rem expediemus.

2. Origo formæ rationalis in homine quænam ſit, multis ſententiarũ divergijs ab Philoſophis eſt agitatum, utpote deciſione obſcurum, & diſcuſſione dignuſſimum. Ex antiquioribus 1. Carpocrates apud Irenæum l. 1. adu. hæreſ. c. 24. Cerdon apud Theodoretum l. 1. d. div. decret. Gnoſtici, Manichæi, & Priſcillianiſtæ apud Auguſtinũ l. 1. de hæreſ. c. 24. Philo Judæus in lib: quod deterius inſidietur potiori, animam ex particulâ divinæ ſubſtantiæ velut deciſam dixerunt, atq; inde genitam. Eò & inclinat Seneca l. 1. epiſt. ep. 120. Epictetus & Poëtæ ap. Corn. à Lapide in c. 2. Gen. v. 7. Quidam eorum Deum quaſi primum corpus dixerunt, & lucem quandam corpoream, ut Manichæi, unde cætera corporea omnia decidantur, inprimis anima omnium perfectiſſima, quæ iſtius lucis corporeæ pars quædam ſit, corpori alligata. Huc Lucretij verſus pertineant, l. 2. p: mihi 52. Deniq; cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi, Omnibus ille idem pater eſt. Et ille Arati ab Apoſtolo citat⁹ verſus Act. 27. v. 28. θεῶν γένος ἐσμέν, ut & Horatij l. 2. ſat. 2. Corpus onuſtum animum quoq; prægravat unà, Atq; affligit humo divinæ particulam auræ. Plutarch. in qu. Plat: q. 2. ex Platonis ſententiâ inquit, anima non opus modò, ſed & pars Dei eſt, neq; ab ipſo facta, ſed de ipſo & ex ipſo exiſtit. Alij Deum quaſi animam totius mundi fecerunt, partes totales hujus animæ eſſe animam humanam & cæterorum brutorum. Quod Varronem ſenſiſſe ex Auguſtini l. 6. d. ciu. Dei recenſet Ruvius in l. 2. d. an. tr. 1. q. 2. n. 37. quanquam apud Auguſtinum nihil horum ibi invenio. Idem Auguſtinus l. 22. d. civit. Dei c. 11. Ariſtoteli attribuit,

buit, quòd animam quintum corpus supra elementa longè illis perfectius statuerit: Id ex verbis l. 2. d. gen. anim. c. 3. *aliquis colligere possit: ubi omnis animæ virtutem s. potentiam corpus aliud participare videri ait, idq́ magis divinum quàm ea, quæ elementa appellemus. Sed rectè reponit* Vives comm. in hunc Augustini locum, *animam omnis concretionis corporeæ expertem ab Aristotele statui, quod patet clarè* ex l. 1. d. an. c. 5. t. 72. l. 2. c. 1. t. 4. *Item ex illis locis, ubi cùm animæ intellectualis actione corporalem nihil communicare ait.* l. 2. d. gen. an. c. 3. *Ex illis, ubi animam incorruptibilem, impassibilem, immortalem vocat* l. 1. d. an. c. 4. t. 65. 66. l. 2. c. 2. t. 21. l. 3. c. 5. t. 19. 20. *alijsq́, quæ alibi deducuntur. Augustino autem* Cicero *imposuit, qui talem sententiam de quintâ essentiâ corporeâ animæ Arist: adscripsit.* l. 1. Tusc. q. §. 22. *Et locus* 2. d. gen. an. c. 3. *non de animæ substantiâ loquitur, sed potentiâ corpori communicatâ, quam longè superiorem facultatibus elementorum esse ait, & sic quintæ cujusdam supra elementa essentiæ.*

3. II. Alij *materiæ elementaris animam humanam statuerunt, adeoq́ ab elementis duxerunt. Sed* diversi *hi.* Zeno, Hippassus & Parmenides *ignem eam dixerunt.* Anaxagoras, Anaximenes, Anaximander, *eosq́ secutus* Varro *apud* Lactantium l. de opif. Dei c. 17. *aërem conceptum ore, defervefactum in pulmone, tepefactum in corde, diffusum in corpore:* Democritus, Leucipp⁹ & Pythagorici *minutissimas atomos in aëre relucentes,* (*quanquam Democrito* Plutarchus *tribuit, quòd igneam compagem partium formis globosarum, vi ignearum, deniq́ corporearum animam statuerit.* l. 4. d. plac. Phil. c. 3. Cicero *tamen ex atomorum turbâ animum & omnia confecisse ait,* 1. Tusc. qu. §. 12.) Empedocles *sanguinem,* Critias *ex sanguine & humore compositam, Quorsum fortè* Virgilius

gilius *respicit* l.9. Æneid: v. 309. *de Rhæto loquens*, Purpuream vomit ille animam: Epicurus *temperatum quiddam ex 4. qualitatibus, igneâ, aeriâ, aqueâ, & quarta anonymâ*, Heraclitus *exhalationem animalium ab externâ & internâ coalitam*; Stoici *spiritum calidum* ap. Plutarch. c. l. Alij *omninò corpoream eam fecerunt, ut* Cleanthes, Chrysippus, Sadducæi, *omnem spiritum negantes*, Act. 23. v. 8. Apollinaris & Apollinaristæ, *in* hist. tripart. l. 5. c. 44. Tertullianus lib. de carn. Christi. (*Quanquam hunc excusat* Augustin. l. d. hæres. hær. 86. *quòd corpus dixerit pro substantiâ verè subsistente, non phantasticâ aut imaginariâ.* Alij *verè eum id sensisse putant, nam & expressè animam sensualis naturæ esse credit, & enarratis Philosophis, qui eam corpoream statuerunt, addit; animam esse corpus facilè persuadebunt: & Aristotelem reprehendit, quòd animam incorpoream & nescio ex quâ quintâ substantiâ constantem fecerit.* V. Conimbr. in 2. d. an. c. 1. q. 1. ar. 6. *Alij patres, ut* Basilius, Damascenus, Methodius, Athanasius, Hieronymus, *eam corpoream quandoq́; dicunt, sed comparatione Dei, quasi ejus respectu fermè fæce corporeâ concreta sit.* Conf. Scaliger. ex. 359. s. 12. *& ut animam de Dei substantiâ esse decisam negent, ut adducunt* Conimbr. c. l.) Alexander & Alexandræi, *elementarij animarum carnifices, ut eos appellat* Scalig. ex. 307. s. 12. 20. Joannes Thessalonicensis Episcopus *angelos, dæmones & animas humanas tenui corpusculo præditas esse docuit, ap.* Conimbr. c. l.

4. III. Pythagoras & Pythagorici *animas ex concentu & harmoniâ numerorum deducebant, unde omnia progigni & oriri arbitrabantur. Plato eos numeros à Pythagoricis Philosophis edoctus clariores & apertiores posteà reddidit, etsi non satis ad omnium captum explicitè eos deduxerit, memorante* Vive in

l. 6.

l. 6. August. d. civ. Dei c. 5. *& latiùs Platonis sententiam explicat* Plutarchus in comm. d. anim. procreat. *secundũ Platonem.* IV. Alij *eductionem animarum statuerunt, & ex semine eas propagari dixerunt, velut formas materiales brutorum & plantarum, ut* Luciferiani *ap.* August. l. d. hæres. c. 84. 86. *& Authorem libri* de dogmat. Ecclesiasticis c. 13. 14. *Tertulliano idem tribuit* Augustinus c. l. c. 84. *Apollinari Alexandrino* hist. Tripartita l. 5. c. 44. *Thomas* l. 2. con. gent. c. 86 Lutzenburg. Catal. hær. tit. *Apollinaris, inquit, animas ab animabus, sicut corpora à corporibus generari dixit. Anabaptistis* D. Affelm. dis. d. hom. t. 105. *id adscribit.* V. Alij *inductionem animarum ab extra in corpora propugnant. Sed & hoc diversimodè.* 1. Aliqui *ab intelligentijs s. angelis eas creari ajunt, & sic corporibus immitti. Vt* Avicenna, Seleucus, Hermias, Galitæ, *à quibus orti* Messaliani *ap.* Conimbr. c. l. q. 3. a. 1. *Conf.* Philastrium *in Catal. hæret.* Simoniaci, Menandriani *ap.* Ephiphan. hær. 21. 22. Lutzenburg. in Catal. hæret. tit. *Simoniaci & Menandriani.* Priscillianus & Priscillianistæ *à malo quodam angelo eas in corporibus proseminari dixerunt* ap. Sulp. Sever. l. 2. sac. hist. & Lutzenburg. c. l. tit. *Priscillianistæ.* 2. Alij *à Deo animas esse concesserunt, sed & hoc diversimodè.* 1. *Inter gentiles animas à Deo & cælo esse multi asseruerunt.* Macrobius l. 1. in som: Scip: c. 12. *originem animarum manare de cælo inter rectè Philosophantes indubitatæ esse sententiæ constare inquit.* Lucret. l. 2. p. 52. *Cedit enim retrò de terrâ quod fuit ante, In terras: & quod missum est ab ætheris oris, Id rursum cæli rellatum templa receptant.* Manilius l. 4. c. 5. *An dubium est habitare Deum sub pectore nostro? In cælumq; redire animas cæloq; venire?* Juvenal. sat. 15. v. 150. *Sensum à cælesti demissum traximus arce.* Cicero l. 1. Tusc. qu. §. 12. *Animorum*

rum nulla in terris origo inveniri potest: Nec invenietur unquam unde ad hominem venire possint, nisi à Deo. Et passim decantatum est inter Ethnicos saniores, animos cœlitùs venire. 2. *Inter* Rabbinos & Christianos *quidam omnes animas in principio simùl à Deo creatas esse sentiunt, sed tantisper in cœlo reservari, donec dispositis ad recipiendum corporibus immittantur. Ita Rabbini communiter, ut patet ex* Tanchuma s. comment. ad sectio: Exod. 38. v. 21. *&* comm. R. Salomonis in c. 33. Deuter. *Ex Christianis* Gregorius Nyssenus *& quidam* Catholici Doctores *ap.* Bellarm: l. 4. d. pecc. c. 11. Origenes *eas corporibus ut vinculis immitti docuit, pro diversitate peccatorum, quibus se in principio omnes conspurcârint, ap.* eundem c. l. *&* Perer. in c. 2. Gen. n. 110. l. 4. *Eum sequuntur* Origenistæ *ap.* Gaulterium in Chron. Eccl. p. 234. *Quod ex insufflatione animæ Adami colligere voluerunt.* Gen. 2. v. 7. *Eundem errorem* Hieronymo *impingere voluit* Ruffinus, *sed falsò*, V. Perer. c. l. 3. Alij *ab æterno animas humanas vixisse putant, & suis temporibus in corpora detrudi, Vt* Cicero l. 1. d. divin. §. 115. *Conf.* & l. 3. d. nat. Deor. §. 27. 28. *Idem* Pythagoras *sensisse dicitur, & ab Ægyptijs accepisse* ap. Herodotum l. 1. Toletum 3. d. an. c. 5. q. 17. *Et manifestè ipsi tribuit* Comes l. 3. myth. c. 20. 4. Alij *ex campis Elysiis in terras mitti dixerunt, ut de quibusdam Platonicis refert* Macrobius l. 1. som. Scip. c. 11. 5. Alij *ex Zodiaci circulo & portis s. tropicis animas è cœlo deducunt, & è terrâ vicissim eò referri credunt, ut idem narrat* c. l. c. 11. *Vnde* Scipioni *de animis beatorū ostenso lacteo circulo dictum narrat: Hinc profecti huc revertuntur.* 6. Alij *siderum conventu fieri aliquando posse formas dixerunt, quæ ita in materiâ imponantur, ut homines ad hunc modum enasci queant*, ap. Scalig. ex. 6. s. 6. Nollius *è cœlo sidereo eas ortum ducere scribit*, l. 10. Ph. herm. c. 9. §. 6.

5. Alij *corporibus ad recipiendum iam dispositis creari animas à Deo putant, & creatas illis infundi, ac infundendo creari. Sicq; omninò originem animarum ad Deum referunt. Hac vulgata Philosophorum, Patrum, Pontificiorum, Reformatorum; est sententia. Ex* Philosophis Aristotelem *in partem allegant ex* 2. d. gen. an. c. 3. *Item* Pythagoram, Aratum, Epictetum, Zoroastrem, Ciceronem, Marf. Ficinum, *Quorum testimonia V. ap.* Alstedium l. 6. Encycl. p. 4. c. 1. Pellum *etiam, & plures Philosophos allegantem* Eugubinum l. 9. d. peren. Phil. c. 3. 8. vid. *apud* Ruvium tr. d. an. sep. q. 1. n. 6. & Zanchium l. 2. d. hom. c. 5. th. 2. n. 4. *Stoicos idem sensisse refert* Lipsius l. 3. Phys. Stoicor. c. 7. *Tenetq; idem ex Philosophis* Velcurio l. 4. Phys. c. 38. §. 5. *Ex patribus* Hieronymum, Hilarium, Leonem, Augustinum *allegat* Alsted. c. l. Ambrosium, Chrysostomum, Gregorium Nyssenum, Theodoretum, Cyrillum, Bernhardum, Innocentium *addunt* Conimbric. c. l. q. 3. ar. 2. Bellarm. l. 4. d. sta. pecc. c. 11. *qui verba eorum allegat. Confer &* Valentiam T. 1. d. 6. q. 8. p. 2. Zanchium c. l. n. 3. *Cyprianum ita sensisse refert* Augustinus serm. 24. *ad fratres in eremo.* Lactantium *ita sentire ex* lib. d. opif. Dei c. 19. *patet. Ex* Pontificijs *ita* Thomas l. 2. con. gent. c. 87. par. 1. q. 118. a. 2. Bonaventura in 2. dist. 18. q. ult. Lombardus l. 2. dist. 17. lit. C. dis. 18. lit. H. Conimbric. c. l. Ruvius c. l. Scalig. ex. 6. s. 11. ex. 290. s. 2. & 307. s. 20. Stella in c. 1. Luc. v. 38. Pererius l. 4. in Gen. n. 111. 115. 118. Bellarm. & Valentia, c. l. Aluaretz d. aux. gra. dis. 44. n. 17. Raconis di. Phy. d. an. rat. s. 2. q. 1. Masius in l. 1. Phy. c. 9. q. 9. Toletus l. 3. d. ani. c. 5. q. 17. Arriaga d. 1. d. anim. s. 11. n. 311. Eustachius S. Pauli sum: Phi. p. 3. Phy. tr. 4. d. 1. q. 1. Pineda in Eccles. c. 12. v. 7. n. 4. Cor. à Lapide in c. 2. Gen. v. 7. & in c. 7.

c.7. Sirac. v. 30. & in c. 12. Zachar. v. 1. Becanus p. 1. Th. Sch. tr. 5. c. 1. qu. 2. Maldonat. in c. 18. Ezech: v. 4. Vallesius de sac. Phil. c. 4. Chr. à Castro in c. 12. Zach. v. 1. Suaretz. d. 15. Meta. s. 2. n. 10. Morisanus d. 1. d. an. q. 6. Zabarella l. de men. hum. c. 9. Ragusejus d. 16. Peripat. c. 2. Bellovisius tr. 2. term. c. 56. Javellus comm. 2. in libr. d. causis prop: 5. Valerius c: 60 Phy. inst. Scotus 2. sent. d. 17. litt. a. *de facto hoc non posse demonstrari ait, quòd immortalitas animæ nequeat demonstrari. Ex* Calvinianis *ita* Calvinus in Hebr. 12. v. 9. Alsted. c. l. & l. 7. encycl. p. 6. c. 6. §. 8. & p. 4. The. Polem. d. gratiâ s. 2. q. 8. & s. 3. Th. schol. c. 19. §. 1. 5. Wittaker. T. 1. d. pec. orig. c. 8. Vultejus ap. Goclenium in psychol. p. 32. Grynæus p. 93. Colerus p. 98. Junius prælect: in c. 2. Gen. v. 7. Pareus in c: 2. Gen. v. 7. in c. 5. ad Rom. v. 12. lect. in Bellar. l. 4. d. pecca. c. 11. Zegedinus in Loc: Comm: de anima. tab. 2 Martinius in Mentz. antinut. c. 19. Gorlæus ex. Phil. 18. s. 1. Timpler. l. 3. empsy. c. 1. q. 30. l. 4. Meta. c. 5. q. 7. Chamier T. 3. panstr. l. 1. c. 7. §. 12. Zanchius c. l. Casus in l. 1. Phy. c. 8. & 9. dist. 10. Scribonius l. 1. Phys. §. 22. Beza in c. 12. ad Hebræ. v. 9. Ursinus volum. tract. Theol. d. peccato. q. 2. p. 204. Wollebi⁹ l. 1. Theo. Chri: c. 5. Heidfeldius p. 361. sphy: *Ubi versus recitat:* Cœlitùs orta mihi mens est, non traduce, *nam si Corpore cum reliquo mens oritur, moritur. Aliíq.* Photinianorum *ambigua hic est sententia, ut ex* Smalcio apparet d. 2. c. Frantz: th. 18. *etsi non obscurè ad traducem inclinet.* th. 22. *rem per se exigui momenti esse ait.*

6. VIII. Alij traductionem *animarum propugnant, non tamen* modo crasso & materiali, *sed singulari, accedente peculiari Dei concursu & benedictione, cujus modus specialissimus in hac infirmitate totaliter explicari non potest, de quo* V. th. 22.

th. 22. *Ita nostratium plures hodiè, & verè legitimeq́, ut c. l. docebitur.* *Ita* Cl. Jac. Martini C. 1. qu. ill. d. 5. q. 6. D. Finckius ex: Academ. 16. q. 3. §. 4. D. Hunnius qu. in c. 7. Genes. par. 2. q. 7. 8. D. Joh. Tarnouius ex. Bibl. p. 870. Bartholin. enchi. Phys. l. 8. c. 24. D. Affelman. disp. d. homine, th: 111. D. Franczius d. 2. in Au. conf. th. 19. 22. 23. D. Havenreut. ap. Goclenium c. l. p. 295. 299. Consentit Keckerman. l: 4. c. 1. Peucerus ap. Goclen. c. l. p. 191. Brighteus in Phy. Scribon. l. 1. §. 22. IX. Alij *deniq́ ἐποχὴν in hoc quæsito tutissimam judicaverunt, nihilq́ in hanc vel illam partem decidere voluerunt. Ita* D. Augustinus l. 2. retract. c. 56. *Vbi fatetur, se nescire originem animæ.* & ep. 157. *ad Optatum eleganter ait*, si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est. *Curandum potius esse, ut à peccato liberemur, quàm scrutandum, quomodo peccato contaminemur. Eadem habet* ep. 29. ad Hierony. & l. 10. de genesi. & libris 4. de orig: animæ. *Augustinum secuti sunt* S. Gregorius *&* Eucherius *ap. Bellarm.* c. l. c. 11. *&* B. Lutherus *noster, ubi nihil publicè de hac quæstione vult decidere,* ap. d. Meisn. p. 1. Ph. so. p. 589. *Nec ἐποχὴν illam reÿcit* Grynæus c. l. ap. Goclen. *& si creationem animarum magis probet: Vel* Monauius p. 202. *ibid: vel* Goclenius p. 301. *aut* Piscator volum. 1. disp: Th. disp. 7. t. 100. 101. & vol. 3. d. 12. q. 4. *etsi ad creationem magis inclinet. Eandem* D. Chemnitius p. 1. Lo. Com. d. pecc. orig: c. 4. p. 236. Martyr. clas. 2. L. C. loc. 1. § 47. Vorstius in T. 4. Bellar. th. 8. Chamier T. 3. panstra. l. 1: c. 7. n. 10. sequuntur. *Quæ modestia reprehendi non potest: laudemq́ meretur quod à Theologo quodam dictum refert* Keck. c. l. *non tàm quærendum esse, quî anima in corpus sit ingressa, quam quî sit egressura, & in quem statum ventura. Nec fidenter, ne dicam impudenter, cum* Valentiâ *&* Bellarmino c. l. *dicendum, vel minimè tutam hoc tempore*

 istam

istam dubitandi esse sententiam, vel illam de traduce jam censendam esse planè erroneam, contra fidem; si non hæreticam: esse exploratum errorem & hæresin, ut audacter isti incessunt, vel sententiam brutam, ut Alstedius c. I. Th. Polem. *& Pareus c. l. in Bellarm. fidenter ajunt.* Priores duæ *sententiæ, quarum altera à Deo induci, altera à parentibus per peculiarem Dei benedictionem traduci animas rationales statuit, hodie de veritate & principatu inter se certant. Quomodo tempore Pelagiani certaminis de his sententijs disputari cæptum sit, ex antiquitate eleganter ostendit* D. Chemnitius p. 1. Lo. Com. d. pecc. orig. c. 4.

7. *Ac priusquam de illis specialiùs videatur, ferendum est* de omnibus allegatis sententijs *generale aliquod judicium.* Prima sententia *insulsa & impia est.* 1. Si *animæ rationales velut particulæ deciduntur ex essentiâ Dei, Er. Deus erit essentia mutabilis, partibilis, & corporea. Namunde aliquid deciditur, ibi aliquid adimitur, & consequenter istud amittit: Et ubi aliquid adimitur, aliquid manet, ibi sunt partes & partes: & ubi partes & partes sunt, ibi consequenter & corpus est. At Deus simpliciter est immutabilis, ut ostensum* d. 6. dec. 1. th. 4.5.6. *Et impartibilis, & incorporeus, Quia est spiritus.* Joh. 4. v. 24. E. *nihil ab ejus essentiâ decidi potest.* 2. Quod *infinitum est, in finiti compositionem essentialem venire non potest. Nulla enim finiti ad infinitum in tali compositione est proportio ob nimiam inter utrumq; distantiam. At Deus est infinitus.* 1. Reg. 8. v. 27. Job. 11. v. 8. 9. Esai. 40. v. 12. Jerem. 23. v. 23. 25. E. *in finiti compositionem* essentialem *venire non potest, & sic anima rationalis ex ipsius essentiâ nequit esse composita. Nil* obstat *locus* Gen 2. v. 7. *Insufflatio enim efficientiam notat, decisionem ex essentiâ rei non notat. A Deo est anima humana, non ex Deo, ut componente. Potest Deus inspirare vel ex se, vel ex nihilo, vel ex materiâ creatâ, vel alio modo incognito.*

8. II.

8. II. *Nihilo est sanior.* 1. Si *anima ex elementis vel elementaribus & corporalibus est oriunda; erit & ipsa corporea, materialis, & corruptibilis, ut elementaria sunt. At est spiritus* Eccles. 12. v. 7. Luc. 1. v. 47. 1. Thes. 5. v. 23. *& immortalis.* Matth. 10. v. 28. *E. non est elementaris originis.* 2. Quod *operationes longè supra elementa euectas habet, nequit elementaris originis esse. Operationes enim arguunt essentiam, & nequit elementare ultra suas vires & speciem operari. At anima humana habet tales operationes, ut intelligere, velle, memorare, quæ nunquam in potestate elementorum aut corporalium sunt. E. nequit elementaris originis esse, sed longè divinioris. Et consequenter nec corpus, nec ignis, aër, crasis aut temperamentum esse potest. Hæc enim omnia sunt elementaria. De obstantibus videbimus in discursu.* III. Etiam *absona est, nisi mythologijs constet & mysticas explicationes contineat.* 1. Nihil *excedit sphæram suæ activitatis & agit ultra vires & essentiam suam. Sed numeri & harmoniæ sunt accidentia, anima est substantia. E. ab accidentibus substantia produci nequit.* 2. Quod *nec de formis materialibus dici potest, id minus de immaterialibus, quæ sunt longè nobiliores & eminentiores illis. At oriri ex numeris & harmonijs nequit dici de formis materialibus, cui enim in Physicis id fiet credibile? E. minùs id de formis immaterialibus asserendum.*

9. IV. Insulsa est. 1. Si *animæ rationales educuntur ex potentiâ materiæ, ut materiales formæ, ergò dependebunt in esse, fieri, subsistere, & operari à materiâ, ut illæ. Hoc enim est educi è potentiâ materiæ, ut visum* dis. 2. th. 5. *At falsum posterius. Operationes enim animæ sunt immateriales,* th. 8. *& subsistit etiam separata à materiâ, ut post mortem,* Eccles. 12. v. 7. *est enim immortalis. Quicquid hic excipiant & tricentur* Photiniani. 2. Si *anima rationalis oritur è semine materialiter, E. erit divisibilis, sic enim formæ brutorum & plantarum sunt di-*

 visibi-

visibiles & extensæ ad extensionem materiarum. At posterius de animâ rat. nequit dici, quæ est spiritus immaterialis, tota in toto, & tota in parte, *ut disputant Physici, quæ simùl semelq́;* diversas habituum operationes *in corpore edere potest, ut saltare, canere & citharisare, quod impossibile esset, si materialis & ad subjectum extensa foret. E. nec è semine originem ducere potest.*

10. *Inter eas quæ ab extra animas in corpora arcessunt.* I. Sententia *extra verum est.* 1. Si angeli *datores animarum, aut de suâ essentiâ dant, aut de alienâ. Si de suâ, erunt partibiles & corporei, quod naturæ spirituali adversum & contradictorium. Si de alienâ, quænam illa erit, & unde veniet? Aut fuit in corpore, aut extra corpus. Si in corpore, aut materialis fuit, aut immaterialis. Si materialis, ergò anima erit materialis, corporea, mortalis, corruptibilis. Si immaterialis, ergò ante adventum animæ jam fuit immateriale & spirituale aliquid in corpore, omne autem spirituale est vivum, sic corpus fuisset vivum ante adventum vitæ, i. e. animæ vitam tribuentis, quod absurdum. Si extra corpus, aut fuit in cœlo, aut terrâ, aut infra terram. Non in cœlo, unde enim id nosti, & quis revelavit? Et cum Socrate hic dicere liceat, ecquando de cœlo descendisti, ut id nôris? Non in terrâ, quis enim id vidit, ut docere possit? Non infra terram, magis enim id incredibile est, quàm prius, & commenta Poeticæ olet.* 2. Si ab angelis *est anima humana, aut per creationem ab illis est, aut generationem. Non per creationem. Quia hæc solius Dei.* Esai. 40. v. 26. *Nec generationem, quia caret corpore & apparatu organorum, per quæ generatio expeditur: E. nullo modo angelis originem debet anima humana.*

11. *Nec* II. Sententia *Origenis & Origenistarum valet.* 1. Si omnes *animæ simùl creatæ, antequam corporibus sunt immissæ* aut perfectæ *creatæ fuerunt, ut per se & separatæ subsistentiam completam habere debuerint, non principia informa-*

tria

tiua corporum esse, aut imperfectæ, *i. e. ut principia formalia totum componentia esse debuerint.* Si perfectæ, *E. injuria ipsis facta est, quod ab esse perfecto & separatim completo, ad imperfectum & completionem alterius, corporis nimirum, detrusæ fuerunt, maximè cum à Deo puras à labe creatas esse necesse sit, cum ab eo nihil inquinati proficiscatur. Et processus naturalis procedit ab esse imperfecto ad perfectius, non perfectori ad imperfectius:* Si imperfectæ, *ergò habuerunt naturalem subordinationem ad corpus, tanquam actus perficiens ad potentiam perficiendam. At quæ ita se habent, simùl incipiunt esse, non seculis aliquot unum ante aliud. Conformationis enim naturalis perfectio in eo est, ut actus suæ potentiæ uniatur. Non ergò actus ante potentiam subsistere debet, nisi in statu præternaturali & violento esse velit. Est enim separatum esse tali actui violentum & quodammodo pœnale, ut* Bonaventura in 2. sent. d. 17. a. 1. q. 3. *loquitur. E. Nec anima humana creata fuit, antequam corpori uniri debuit.* 2. Si animæ *ante corpora sunt creatæ, E. Notitiam & scientiam rerum habuerunt, sunt enim spiritus intellectuales. At cur non eam retinent, cum ad corpus conjunguntur, in quo essentialis perfectio spiritus incompleti consistit, uniri suæ materiæ, non ipsi id violentum & præternaturale est, ut ob talem conjunctionem omnium rerum velut obliviscatur. Nec ex insufflatione Adami hic aliquid colligitur, quasi jam ante corpus Adami anima extiterit. Illa enim insufflatio totius animæ creatio fuit, non novæ jam ante creatæ saltem immissio. Vnde creasse hominem Deus dicitur.* Gen. 1. v. 26. 27. c. 2. v. 7. *Solum corpus autem non est homo, sed corpus & anima simùl.*

12. III. Ciceronis *sententia adversatur* 1. Scripturæ, *omnia in tempore cœpisse dicenti,* Gen. 1. v. 1. *Nihil creati ab æterno ponenti.* 2. Naturæ. *Anima non ante corpus creata, ut* th. 11. *visum. E. minùs ab æterno extitit. Addunt quidam Philosophi, nullam creaturam absolutè ab æterno existere posse. Hæc hypothesis*

pothesis dubia est, & ad aliam materiam pertinet, itaq; mitto eam. De rationibus Pythagoraeorum, quas promit Comes c. l. *Videbitur in discursu.* IV. & V. Sententia *de campis Elysijs & portis Zodiaci magis mythologicum quid & figmentum Poëticum subolent, quàm naturalem veritatem. Itaq; in Physiologiâ ampliore refutatione opus non habent. Nec ipsi gentiles de campis Elysijs consentiunt, ubi & quales fuerint, ut ostendit* Comes. c. l. c. 19. *& monstrosos circuitus animarum per 12000. annos, per omnes sphaeras caelestes, choros daemonum & deorum finxerunt, donec circulos suos perfectè absolverent, usq; dum in alia corpora proprioris vitae gestis iterum demitterentur, ut idem deducit* c. 20. *Quibus delirijs nemo Christianorum assurget.* VI. De sydérũ *conventionibus absurda est. Rectèq;* Scalig. c l. *Quibus caelorum circumactionibus id hactenus compertum est. Aliquando enim extitisset. An verò & Pyrrhae saxa nobis & admittenda & recipienda sunt? Ad aequivocam generationem caelum & astra conferre negari nequit: Ad univocas generationes ut generale agens concurrere* d. 2. th. 4. *concessum est. Proxima & adaequata formarum causa nec caelum nec sydera esse possunt.* Nollij *sententia, nisi Tropicum & mythologicum quid subinferat, esse nempe ortum animarum divinum, & sic siderium, similiter in Physicis & causis proximis locum non habet.*

13. VII. Sententiae *de immediatâ animarum à Deo creatione, quae classica hodiè inter plures est, haec opponimus.* 1. Si immediatè ex nihilo *creat Deus animas, aut puras à peccato eas creat, aut impuras aut non puras, & indifferentes ad puritatem & impuritatem* Si puras, *Unde in illis peccatum originis Cui hodie omnes obnoxij nascimur, ut* th. 29. *dicetur. Et unde damnationi subjectae animae, si purae à labe creatae?* Si impuras, *Ergò opus aliquod immediatè à Deo profectum erit impurum, pollutum & damnabile. Quod sanctitati, veracitati, bonitati, sapientiae, justitiae & misericordiae Dei est adversum, & contra*

Gen.

Gen. 1. v.31. Psal.104. v.24. P.106.v.2. P.111. v.2.3.7. Syrac. 18. v. 1. c. 38. v. 8. c. 39. v. 21. 23. Nec indifferentes, *quia 1. nullus unquam status fuit, in quo anima humana extiterit indifferens ad puritatem & malitiam, sed semper aut sancta extitit, ut in Adamo & Evâ ante lapsum, aut malitiâ infecta, ut omnis jam post lapsum, vitio originali spurcata. Medius status conceptus saltem mentis est, qui in rerum naturâ nunquam datus fuit, ut contra Scholasticos pluribus alibi disceptatur.* 2. Vnde *postea in illis oritur peccatum, ut ex indifferentibus fiant maculatæ & impuræ? Nihil commodè hic assignari potest, ut ex exceptionibus subjunctis patebit.*

14. Variè *ad hoc argumentum excipitur à dissentientibus.* 1. Quidam excipiunt, *Deum puras animas creare, sed cõtagione corporum eas pollui & impuras reddi, quia cum libidine generatio carnis perficiatur. Sic vinũ generosũ in vase vitiato corrũpatur.* Eò Augustinus *varijs in locis inclinare videtur* ap. Bellar. c. l. c. 12. *Et sensit* Lombardus 2. sent. d. 31. Greg. Ariminensis & Gabriel *in eundẽ locũ.* Vultejus *ap.* Goclen. in Phychol. p. 36. Chamier T. 2. panst. l. 1. c. 7. §. 11. 12. *Accedunt huc, qui* radicem peccati originalis *in corpore manere ajunt usq; ad cinefactionẽ, indeq; rationem solvendi quæsiti sumunt, an corpora suscitatorũ ab Christo & Apostolis iterum morte defuncta fuerint, ut Lazari, filij viduæ in Nain, Eutychi? quod affirmant, quia radix peccati adhuc in corpore fuerit nondum cinefacto. De quo* V. D. Meisn. d. 2. Antropol. q. 2. t. 25. 26. *Quidam id ita explicant, quod non propriè caro spiritum inquinet, sed destituta justitiâ originali & rebellis rationi animam deorsum trahat, & sic distortam reddat. Ita* Alensis & Bonaventura *ap.* Bellar. c. l. Martyr c. l. §. 49. *Vel quòd in corpore prava sit organorum dispositio, quâ illa magis apta sint ad actus pravos, quàm bonos: Animæ vero actiones multæ temperamentum sequantur, & sic & ipsæ malæ fiant: sic sanguineos esse venerios, cholericos iracũdos & pugnaces, Melan-*

cholicos

cholicos ingeniosos. Nec hinc corpus agat in animam. Nam ut si regula curva sit, nequeat duci linea recta, ut tamen regula non agat in manum: sic & in animâ & temperamento sit, nec tamen hoc agat in animam. Ita Gorlæus c. l. ſ. 1. Pareus l. 4. in Bell. d. pecca. c. 12. §. 3. Alſtedi. S. 3. Th. ſcho. c. 19. §. 1. *Ex* Sapi. 8. v. 19. c. 9. v. 16. *Aliquid horum probare nituntur.* Alij *facultates animæ in inferiores dividunt, ut vegetantem, sentientem, generantem, augentem, & has traduce propagari, materiales esse, adeoq́; & peccato infectas: & superiores, ut ratiocinatricem, discursivam, cogitativam, has inorganicas esse, puras à Deo creari, sed ex conjunctione cum organicis spurcari. Mentem ipsam puram esse, quòd sit simplex & ἀπαθὴς, & primorum & simplicissimorum sit causa: Errores & mala esse propriè in compositis. Mentem, quia per sensus & materiales facultates operari cogatur, cum istæ peccato infectæ sint, usuram istius facultatibus sentire defectum, atq́; ita peccato originis implicari, & tenebrarum ac pravitatis fieri participem. Ita quidam apud* Schæfer. in acrop. d. trad. anim. §. 1. p. 354. 355. Alij *ex conjunctione cum corpore pollui animam dicunt non Physicè, sed moraliter, quod, ut in eo momento, quo anima corpori jungitur, homo incipit esse: sic & peccator incipiat esse, inobædientia Adami ipsi imputetur, & contagio mali consequatur. Ita* Zanchius c. l.

15. *Quocunq́; modo explicetur exceptio, locum non habet.* 1. Inter corpus *& spiritum non est contactus Physicus & corporeus, ut inter vas & vinum, sed virtualis & spiritualis, quo spiritus ut forma, corpus ut materiam agitat, movet, impellit, vegetat & perficit. Non ergò à corpore spurcari potest spiritus, sed ipse potiùs corpus vel inficit vel perficit.* 2. Si anima est pura, *corpus impurum, potius ipsa ut spirituale, nobile, principale & formale principium, corporis ut materiæ & patientis culpas ac maculas eluet, defectus ejus instaurabit, sicq́; illud perficiet, quàm ut ab eo maculam contrahat. Nobilius magis agit in ignobilius perficiendo,*

ciendo, quàm ignobilius in nobilius corrumpendo. 3. Peccatum Adami *priùs fuit in animâ, quàm corpore, quia voluntate peractum, quæ facultas animæ est, & ab hac transiit ad corpus, non contrà, â corpore ad animam. E. & peccatum posterorum Adami prius est in animâ, quàm corpore, Ita inferente Bellar. c. 12. c.l.* 4. Om habitus pravus *per prius est in animâ, per posterius est in corpore. Est corruptio animæ ejusq́ facultatum primò, non corporis. Peccatum originis est habitus pravus, saltem analogicè loquendo, non mera privatio, ut alibi pluribus docetur. Nam & firmissimè radicatur in subjecto: & difficilimè imò planè non hic eradicatur: & subjectum ad prava inclinat, movet, impellit, suggerit, sicq́ malorum primum movens & instigans est. Quod habituum vitiosorũ est proprium, concedente* Alstedio c.l. Th. schol. §. 3. *Quicquid de abstractis & præcisivis speculationibus Metaphysicis sit, quas in foro morali & Theologico non semper attendimus. Vnde & scriptura positivis verbis illud describit, vocans figmentum malum,* Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 22. *sapientiam carnalem inimicam Deo.* Rom. 8. v. 7. *malum adjacens.* Rom. 7. v. 21. *inhærens,* v. 23. *inhabitans.* v. 17. 20. *circumstans,* Hebr. 12. v. 1. *Cujus fructus & effecta sunt positiva.* Gal. 5. v. 20. 21. *Cujus pœna & supplicium est positivum, tribulatio & angustia.* Rom. 2. v. 9. *perditio in gehennam.* Matt. 10. v. 28. Luc. 12. v. 5. *missio in caminum ignis & ignem æternum.* Matth. 13. v. 42. 50. c. 25. v. 41. *At meram privationem Theologicam æterno supplicio puniri non permittet Dei justitia. E. & pecc. orig. per prius erit in animâ, per posterius in corpore.*

16. 5. Contrarium *peccati originis, imago Dei, primariò fuit in animâ, ut sanctitas, justitia,* Ephes. 4. v. 24. *Quæ absurdè corpori ut principali subjecto tribuentur, & concedit* Bellar. c. l. c. 11. p. mihi 308. *E. & peccatum orig: prius erit in animâ, ut primario subjecto, quàm corpore. Hinc scriptura ignorantiam* menti *tribuit.* Ephes. 4. v. 17. Colos. 1. v. 21. *prudentiam Deo*

inimicam, Rom. 8. v. 6.7. *conscientiam inquinatam*. Tit. 1. v. 15. *Sic ab animâ in corpus labes fluet, non contrà*. 6. Si inde *anima spurcatur à corpore, quod hoc cum libidine generetur, E. quò majore cum libidine quis est generatus, eò plus habebit peccati originis, quò cum minore, eò minus. At hoc ineptum est, peccatum enim orig. æquale est in omnibus, & gradus non admittit*. 7. Si caro rebellis *rationi trahit animam deorum & inquinat, Ergò materiale poterit agere in immateriale. At hoc non, sed contrarium procedit, spiritus agit in corpus, non corpus in spiritum. Deinde non esset peccatum actu in infantibus, nisi cum caro inciperet rebellare adversus spiritum, per rebellionem enim deberet animam deorsum trahere & pervertere. At peccatum originis actu est in infantibus, etiam à nativitate*. Psal. 51. v 7. Job. 15. v. 14. c. 25. v. 5. *Reatus & macula, quæ hic adducit* Pareus c. l. *rem non expedient. Vid*. th. 19. 8. *Corpus sine animâ brutum quid sine sensu & vitâ est, & corpus ἄψυχον est corpus humanum æquivocè, nec magis subjectum peccati, quàm corpus lapideum*. Conf. 2. d. anim. c. 1. t. 9. *Ab eo ergò vitiositas in animam defluere non potest. Pravæ dispositiones temperamenti, quas* Gorlæus & Pareus *adducunt, non sunt in* corpore mortuo, sed vivo & animato. *Non ergò ante animæ accessum, sed post eam incipiunt. Emergunt ex temperamento, sed per animam vivificato, non eâ destituto. Nemo in corpore mortuo & inanimato temperamentum sanguineum, Cholericum, Melancholicum, &c. esse dicet, sed vivo. Nec tantum pravæ actiones ex temperamento sunt à peccato originis, sed &* hæreses, doli ignorantiæ, prudentia Deo inimica, *ut ante dictum, quæ peccata mentis sunt, non pravi temperamenti. Ad loca* Sap. 8. & 9. *in discursu respondebitur*. 9. Si inferiores *tantum facultates peccato infectæ, mens pura est, quid meruit, quod impuris facultatibus immittitur, ex quarum conjunctione & ipsa spurcatur? Ita [illegible]us conjungens mentem impuris facultatibus erit reus istius imp[illegible]atis, quam*

ex

ex conjunctione contrahit Scriptura non inferioribus saltem facultatibus, sed ipsi menti & intellectui *& voluntati peccata ascribit, V. Paulò antè. Sic inter opera carnis & hæreses & idololatriam enarrat.* Gal. 5. v. 20. 21. *dolos, Dei contemptum, malas inventiones, insipientiam,* Rom. 1. v. 29. 30. *ineptiam ad cogitandum bonum.* 2. Cor. 3. v. 5. *prava figmenta & cogitata* Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21. *Quæ omnia sunt in mente, non inferioribus facultatibus. Naturalia mala & defectus sunt ob materiæ & compositionis vacillationem: moralia etiam ob voluntatis liberam & indifferentem ad mala inclinationem esse possunt. Per hanc & mens ipsa malitiæ capax esse potuit. Sic in angelis, qui in bono non perstiterunt, fuit.* Judæ. v. 6. 10. Radix *peccati potest manere in corpore, sed ubis origo fuit ab animâ: Propter animam impuram & corpus inquinatum est, non ob corpus anima. Si radix mali in corpore defuncto manet, inde est, quia in vitâ animæ lapsæ & fœdatæ initium fuit, non quasi origo mali ab ipso in animam redundârit. Si rigidè radix peccati est in corpore, quid opus est animarum traductione ad propagationem peccati, cum malum anima corpore velut pestilenti radice sugere & attrahere potuerit?* 11. Peccati consequens, *damnatio per prius est in animâ, per posterius in corpore, E. & antecedens, ipsum peccatum. Regeneratio per prius est animæ, per posterius corporis. E. & corruptio, ob quam est regeneratio.* 12. Si ex *conjunctione moraliter in animâ consequitur peccatum, ille qui eam conjungit, â labe non erit immunis, qui est Deus.* Vide th. 22.

17. 2. Alij excipiunt, *animam impuram fieri, quia non creatur â Deo extra corpus, & sic creata inducatur, sed in corpore, & eodem momento, quo creatur, corpori uniatur, docente* Zabarel. l. d. ment. hum. c. 9. *Sicq́ ejusdem cum illo labis & maculæ rea fiat. Sed nec hoc rem perficit.* 1. Si ob *id anima rea, quia in corpore creatur, E. ab corpore contagionem trahet, & propter corpus corrupta erit, quòd in illo producta sit. Sicq́ prima radix*

labis erit in corpore. At hoc non est, ut th. 15. 16. *dictum. 2. Etsi in corpore creetur, tamen ex nihilo creari dicitur, non ex aliquâ corporis materiâ. At quod simpliciter ex nihilo fit à Deo, purum & immaculatum sit: Et si spirituale est, non potest ab unione virtuali cum corporeo, cui jungitur, maculam contrahere, quia illa unio non est contactus corporeus, sed virtualis.* 3. Si ob id *anima rea peccati, quia in corpore creatur, non extra illud, E. corpus magis reum erit peccati, E. corpus magis damnationi obnoxium, quàm anima. E. corpus magis regenerabitur, quàm anima. At hæc omnia sunt inconsistentia, & invertenda,* 4. Si in *corpore creatur anima, quî dicitur ab ipsis infundi? Infunditur enim id, quod ab extra rei immittitur, non ab intra ex ipsa re trahitur.*

18. 3. Alii *eò inclinant, ut dicant animam puram creari à Deo ratione essentiæ, sed facultates maculari, dum in corpore sint, & per illud suas operationes expediunt. Ita ferè* Trelcatius disp. *quadam Leidæ an. 594. habitâ,* q. 6. de anima. Wollebius l. 1. Theol. c. 5. *Contrà,* 1. Vel *facultates animæ sunt realiter ipsa animæ essentia, ut* Scotus *voluit, & sic facultatibus maculatis maculatur ipsa anima: vel sunt accidentia realiter ab animâ distincta, & ab eâ ut propria manantia, ut* Thomas. *Sic dans formam dat consequentia formam, quæ sunt propria formarum. Ita Deus & animam & animæ proprietates dederit, â quo nihil nisi purum creatur. Si accidentia sunt, aut materialia erunt, ut quantitas, color, quod non, quia anima spiritus immaterialis ex communi Christianorum Hypothesi est: aut immaterialia & spiritualia, sic à corpore labem contrahere non poterunt.* 2. Si facultates *spurcantur in corpore, purâ relictâ animâ, E. & illæ damnationi subjacebunt, salvâ manente animâ. At absurdum est, accidentia sine subjecto suo aliquid pati, in quo sunt, & extra quod subsistere nequeunt. Vt extra subjecta accidentia nusquam sunt aut existunt, ita nec*

extra

extra illa aliquid pati possunt. 3. Primum *& radicale subjectum peccati est anima, non corpus, non facultates, non accidentia animæ: Et per ac propter animam & corpus est peccati reum, & sic totus homo damnationis reus. Vnde corpus & anima perdi dicitur in gehennam.* Matt. 10. v. 28 *quomodo & purgari & sanctificari dicitur anima.* 1. Thes. 5. v. 23. *servari,* Luc. 9. v. 5. 6. Hebr. 10. v. 39. *Non ergò in peccato anima & ejus facultates contraponi possunt.*

19. 4. Alii excipiunt, *animas à Deo nec puras creari nec impuras, sed* non impuras, *non enim per se actu secundo peccârunt aut peccant, etsi potentiâ & actu primo impuræ in supposito dici possint, ut quæ aversæ à Deo non possint postea non peccare. Ita quà peccatum secundum se animam à malo puram esse: sed à defectu boni legitimi in creatione accepti, ab habitu & reatu debiti, non esse puram. Esse ream debendi, non agendi creatam animam. Postea ex impotentiâ ad bonum, inclinatione ad malum, hominem fieri reum & debendi & agendi. Ita* Junius in c. 2. Gen. Alsted. c. l. *R. Nihil [illegible] proficitur.* 1. Si animæ *creantur non impuræ, ergò creabuntur in statu quodam medio inter salutem & damnationem, ut nec salvæ sint, nec damnationi subjaceant. At status talis nullus est. Omnis enim anima quæcunquè creatur, vel salva creatur, vel perdita, ut alibi pluribus contra Pontificios deducitur. Nec est aliqua non puritas in animâ quæ non juncta sit impuritati; sed ἀμέσως hæc opponuntur in subjecto capaci, anima humana est pura, vel impura: vel est in gratiâ Dei, vel extra eam: vel Deō similis, vel Diabolo, bona vel mala, integra vel lapsa. Medium & indifferentem statum, medias animas aut homines ignorat scriptura. Nec peccatum originis est nuda non puritas & privatio, sed positiva vitiositas, malitia & corruptio.* V. t. 15. 2. Si anima *est pura ab actu, unde obligatur reatu debiti? Nullum est debitum sine actu, vel à nobis peracto, vel in*

alio contracto. Reatus fundamentum est culpa, ut absolutum respectivi. Ubi reatum ponis, ibi culpam priùs ponas necessum est. Aut ergò ob propriam culpam *rea agitur anima, aut ob alienam.* Si ob propriam, *unde illa, si originem ab Adamo non trahit, ob cujus delictum rei sumus, ut in quo omnes peccavimus?* Rom.5.v.12. Si ob alienam, *& quam ipsa in alio non contraxit, injustè luit. Injustè enim anima moritur, quæ ipsa nec in se nec in alio peccavit.* Ezech. 18. v. 4. *Nec potest reatus nobis imputari, si in Adamo non peccavimus: Nec peccare in ipso potuimus, si animam ab Adamo non traximus, quæ principale peccati subjectum est.* Non justè damnationis causam ex Adamo inveniunt, qui quà primarium peccati subjectum ex eo non veniunt. *Nec inde simpliciter rei sumus, quia Adam peccavit, sed quia peccando internam labem contraxit, quam in universos posteros* velut propriam transfudit. *Ita cum tota Adami posteritas in consortium labis istius originalis per naturæ ex parentibus originem devenerit, consequenter in successionem reatus & pœnarum successit. Non tantùm miseri sumus participatione culpæ Adami actualis, & imputatione reatus legalis: sed & propagatione pravitatis naturalis.* 3. Non tantùm *quæritur de reatu peccati Adamitici, unde ille in animâ sit: sed & de vitioso habitu in animâ, nobis congenito, unde ille existat? Nisi à parentibus & consequenter Adamo animam trahi dicamus, vel peccati rationem assignare non poterimus, vel Deo creanti eandem adscribere cogemur, quod utrumque inconveniens. Si est impotentia ad bonum, & inclinatio ad malum in animâ creatâ, aut â Deo creante illa erit, sic macula Deo inuretur, aut quòd ab Adamo primo peccati parente originem trahat. Sic à parentibus traduci oportet animam, quocunque etiam modo id fiat.* 4. Posito, *creari animas in statu ita indifferenti,* unde determinantur postea ad malitiam? Aut â *corpore, quod non, quia principale non determinatur ab instrumentali,*

mentali, sed hoc ab illo: Aut à Deo, quod impium: Aut ex *suâ natura: At sic ad Deum naturæ authorem hoc recurreret:* aut *ex conjunctione cum corpore, quod etiam non,* V. c. 32. *E. ex eo, quòd originem ex Adamo peccatore trahant.*

20. 5. Alii excipiunt, *Deum creare animas non immediatè, sed mediatè, mediante naturâ & homine, ubi natura confert per hominem, quod est naturæ simpliciter: homo per se, quod est vitii accrescentis naturæ ipsius singulari. Ita vitium esse à* medio, *per quod anima communicatur, non Principio divino, quod extra culpam. R.* 1. Homo *ad animam creandam nihil confert, quæ à Deo ex nihilo creari dicitur. E. nec potest hic medium esse, per quod peccatum animæ inferatur.* 2. Si anima *à parentibus non traducitur, sed extra ex nihilo creata immittitur, est pura ab omni labe. Si est pura, injuria ei fit, quod in medium sordidum & pollutum detruditur, per quod & ipsa spurcari debeat.* 3. Potissimum *subjectum peccati est anima, non natura, non medium, non homo. Ubi hæc non à parentibus, frustrâ peccati ratio in eâ quæritur, nisi Deo imputetur.* 4. Homo *non est, qui absque animâ humanâ est: nec medium peccati esse potest, si solum corpus sine animâ ab eo trahatur. Homo animatus est medium peccati traducendi, non inanimatus. At animam non homini, sed immediatè Deo adscribunt. Nec ergò hoc medium peccati procedit.* 6. Alii excipiunt, *animam puram creari ratione essentiæ, sed impuram ratione subsistentiæ s. suppositi, quà sit anima hujus suppositi seu personæ, quæ peccavit in Adamo.* Alsted. c. l. *R. Si anima pura est in essentiâ, Cur in suppositum impurum detruditur, ut inde peccati rei fiat? Si suppositum quoad solum corpus trahitur ab Adamo, & anima creatur, quomodo in Adamo peccare potuit: sine animâ enim nullum peccatum est? Quomodo suppositum corporeum inficere potuit animam, spiritualem substantiam? Quomodo peccatum Adami animæ imputari potest, quæ in Adamo nunquam fuit,*

fuit, nec ab eo originem traxit? Suppositum peccavit, quia anima in Adamo peccavit: non contrà, anima peccavit, quia suppositum peccavit. *Primaria radix peccati est anima, non corpus, non suppositum: & animæ essentia, non sola subsistentia, quæ est tantùm modus quidam ultimatus essentiæ, ad incommunicabilem existendi rationem eam determinans, ut alteri inesse non possit, ut ab eo sustentetur; realiter ab essentiâ non diversus, ut solidiores Philosophorum statuere solent. Si essentia est pura, non potest esse impura subsistentia.* 7. Alii regerunt, *justè animas creari cum privatione imaginis divinæ, & sic languidas & ad bonum imbecilles esse. Et corpori pravè disposito junctas & ipsas peccati reas effici. R. Quid meruerunt animæ, quod imagine divinâ priventur, si ipsæ non peccârunt? Et cur corpori pravè disposito immerguntur? Plura ex t. 29. patebunt.*

21. *II. Sic contra creationem animarum arguimus: Ubi cessavit creatio, & successit generatio, ibi & animarum creatio ex nihilo locum habere nequit. Nam & hæc vera est creatio, & velut specialior sub generaliori contenta. At absoluto mundo cessavit creatio, & successit generatio.* Gen. 1. v. 28. c. 2. v. 2. 3. *Ubi* & quies *respectu creationis, non cooperationis intelligitur:* & objectum *notatur, â quo quievit, omne opus:* & modus, *quomodo quieverit, ut faceret illud, non ut conservaret vel concurreret. Generatio autem, quæ creationi successit, est rerum creatarum velut quædam continuatio, per quam creatæ à Deo animalium species propagantur & conservantur. Unde ex uno sanguine omne genus hominum super terram habitare dicitur.* Act. 17. v. 26.. *Nempe per propagationem ex Adamo. E. & animarum creatio ex nihilo cessavit, & in locum ejus successit propagatio.* Excipiunt dissentientes, *Deum cessasse â* creandis novis spec ebus, non individuis. *Sic creasse in cœlo quandoque novas stellas, quæ apparere inceperint, cum antea non fuerint.*

rint. *Sic stellam magorum in aëre*, Mat 2. *stellam novam Anno 1572. in sydere Cassiopejæ.* *An. 1600. in pectore oloris, An. 1604. in serpentario.* V. Bartholin. astrol. n. 268. *Ita & novas animas humanas quotidiè creare posse.* *Cessasse à creandis naturis completis, non incompletis. R. 1. Quicquid verè & propriè dicta est creatio, ab eâ Deus cessavit absoluto mundi opificio, vi verborum,* Gen. 2. v. 2. *Sed creatio novorum individuorum est verè proprieque dicta creatio. E. & ab illâ Deus septimo die & ultrà cessavit. Dicitur interdum creare adhuc hodiè in sacris, sed illud creare non est proprium, sed* analogicum, *renovare, constituere, efficere.* *Sic novum creavit, quod terra Core & Abiram absorpserit,* Num. 16. v. 30. *Cor novum creat,* Psal. 51. v. 12. *populum novum.* Psal. 102. v. 19. *2. Ita quievit ab homine faciendo,* ut à cœteris speciebus quiescit, Gen. 2. v. 2. *Sed ab illis ita quiescit, ut animas novas illis non creet. E. & ab homine faciendo ita quievit.* *3. Non tantùm ab opere, quale patrârat, quievit, sed & quod patrârat.* Gen. c. l. *sive ergò completum, s: incompletum fuerit, Deus ab illo quievit. 4. Exempla stellarum dubia omnia sunt, & verè de illis dicatur:* Nil valet exemplum, quod litem lite resolvit. *Quidam creatas illas stellas de novo ajunt: Alii latuisse censent, & ex invisibilibus jussu Dei tandem factas visibiles, sicque apparuisse: Vt* Alsted. l. 11. Encycl. p. 1. c. 13. §. 7. Vallesius c. 1. d. sac. Phil. *Sic aderat fons in deserto, sed illum Hagar non videbat, donec Deus oculos aperiret.* Gen. 21. v. 19. *Alii ex materiâ ætheriâ de novo in æthere genitas putant,* *Vt* Tycho et Bartholin. r. 274. Astrol. *Hæc non minore probabilitate sentiri possunt, ac prius. Si omninò eas de novo creavit Deus, non fuerunt in eorum numero, à quibus dicitur quievisse, quæ sunt ea, quæ patrârat.* Gen. 2. v. 2.

22. *Ita &* septima *sententia oppugnata: Restat,* argumenta videamus, *quibus* octava *de traduce, quam veritati &*

fundamētis Theologiæ ac Philosophiæ cōsentaneā statuimus, confirmetur, & ab dissentientiū exceptionibus vindicetur. Ea priusquam proponamus, removenda *sunt quædam,* quæ ad quæstionem non faciunt, & *sententiæ nostræ non conveniunt.* 1. Non oritur *anima humana ex traduce crasso, speciali & materiali, quomodo animæ brutorum oriuntur, quæ ex potentiâ materiæ educuntur, ut priori disp. visum: sed generali tantùm, i. e. propagatur & traducitur à parentibus, etsi non tali & tali modo traducatur, nec nos specialem modum traductionis aut sciamus, aut explicare valeamus.* τὸ διότι & speciale, *quomodo traducatur, ignorare nos, ut multa alia, fatemur. Proinde calumniæ vicinum est, de nostrâ sententiâ dicere, animas hominum intelligi fieri ex propagine, quemadmodum animæ bestiarum fiunt, ut* Bellar. l. 4. d. amis. grat. c. 11. & 12. *loquitur, vel eas generabiles & mortales statui, quasi pecudum, ut* Pareus in c. 5. Rom. v. 12. *Vel brutam esse illam sententiam, ut* idem l. 4. in Bell. d. pec. c. 11. & Alsted. p. 4. Th. Polem. p. 469. *loquuntur.* 2. Non generatur *anima seorsim, nec corpus seorsim, sed totum compositum & species primò generatur, corpus congeneratur, anima propagatur & traducitur.* 3. Non oritur *anima humana ex traduce, i. e. semine, ut principio materiali, in quo actu vel potestate, ut animæ brutorum, vel utroquè modo inextiterit, sic enim materialis, corporea & mortalis esset: sed prodeunte ex semine composito consequenter anima à parentibus ducitur, per mirabilem Dei cooperationem, & singularem benedictionem.* 4. Anima *non accenditur ab animâ parentum, ut lumen de lumine, fax de face, radius de radio, lampas de lampade, ignis de igne, scintilla de silice, quæ similia hic adduci solent: nam & hæc accensio est corporum, non spirituum: & modum specialem propagandi cognitum subinfert, quem nos ulli hominum specialiter & formaliter cognitum esse negamus.* 5. Non deciditur *animâ filii ab animâ patris, vel matris, nec solus pa-*

ter

ter vel sola mater generat, sed uterquè in conjunctione conjugali ut una caro spectatus generat speciem & compositum, generando propagat, & propagando conservat. *Recte* Bellouis. tr. 2. term. c. 55. *Animalia secundum Philosophum sunt in coitu ut unum principium generans: & secundum hoc dicitur,* Gen. 2. *Erunt duo in carne unâ.* 6. Non propagatur *anima per perditionem animæ parentum, vel communicationem novæ, quam præter suam antea in se habuerint: vel creationem separatæ & extraneæ, quæ postea corpori foetus conjungatur: vel decisionem aut divisionem animæ parentum: vel per successionem animarum, ut primùm embryo vegetante animâ informetur, post sentiente, ultimò rationali: vel generationem merè naturalem, quomodo bruta gignuntur: sed peculiarem Dei operationem & concursum, qualis non est in ullius bruti generatione, & cujus modum specialem in omnibus capere, assequi, & explicare non valemus. Quam operationem si quis* Creationem secundam, mediatam, analogicam, *vocare velit, nec negabimus in totum, nec de voce multum contendemus. Modò legitimus sensus subsit, ut cū creatione illâ simùl animarū à parentibus concedatur propagatio & traductio. Hæc nostra hac in re est sentētia.*

23. *Propagari autem animam humanam unà cum corpore à parentibus, utcunquè modus specialis nobis, ut multa alia in orbe sublunari, per omnia sit inexplicabilis, sequentibus confirmamus.* 1. *A naturâ generationis. Talis est generatio humana, qualem Deus ab initio esse jussit & instituit. Patet ab authoritate & potestate divinâ, quâ, quidquid jubet, fieri oportet.* Psal. 33. v. 9. Eccles. 3. v. 15. *Et naturâ cæterorum animalium & plantarum generantium.* Gen. 1. v. 11. 12. 21. 22. *Sed talem esse voluit, ut tota species generando propagaret totam speciem, adeoquè bos bovem, leo leonem propagaret, non solum corpus leonis,* Genes. 1. v. 22. *Homo hominem, non solum corpus humanum propagaret,* v. 28. c. 5. v. 12. *E. & talem*

esse oportet generationem humanam. Ulterius: *Si talis est generatio humana, ut per eam tota species propagari debeat, necesse est & animam propagari à parentibus, quocunquè etiam id modo fiat. Forma enim dat esse speciei, & sine illâ nec ulla species constitui, nec propagari dici potest, si ea non propagetur. Est enim generatio ex concursu maris & fœminæ similis substantiæ Individui procreatio, definiente* Damasceno l.4.d. orthod. fide. c.7. *Plura testimonia* Vid. t.35. *Sed talis est. Hoc ostendunt* 1. Benedictio divina, *ita esse faciens.* Gen.1.v.28. c.5.v.2. *etiam post lapsum repetita* c. 9. v. 1. 2. exempla generantium. Gen. 4. v. 1. c. 5. v. 3. 4. seq. c. 11. v. 10. 11. c. 15. v. 4. c. 21. v. 2. *totam speciem sub individuo generantia. Unde parentes efficientes liberorum dicuntur.* Sirac. 7. v. 30. 3. Dicta, *quæ ipsarum animarum à parentibus tractarum mentionem faciunt, & eas è fœmore parentum exiisse dicunt.* Gen. 46. v. 26. Exod. 1. v. 4. *Ubi non obstat, esse* tropicam, *metaphoricam, & synechdochicam locutionem, quod* Bellarminus, Junius, Alstedius, Martyr, Pareus, *aliiquè reponunt. Nam hoc* de modo loquendi *verissimum est, nec tali modo oriuntur animæ, ut ex fœmore egrediantur. Hic omninò metaphora est: sed huic tropo* aliquid veræ rei subesse oportet, *nisi tropus in totum falsus esse debeat. Ergò hoc ad minimum inde colligitur, totum hominem vivum & animatum trahi ab parentibus, & sic animam verè propagari, etsi eo modo non fiat, quo phrasis innuit. Sic si scelus scelestum dicas, res ipsa subest, etsi modus significandi non subsit. Sic hic animæ oriuntur à parentibus: et si ex fœmore egrediendo non oriantur. Si* Synechdoche *in voce anima est,* est illa partis pro toto, *& intelligitur totum compositum, homo vivus, qui trahitur ab parentibus, quomodo vivus absquè animâ nullo modo esse potest, & sic habemus intentum:* non partis pro parte, *qualis Synechdoche adhuc non reperta, quicquid exemplorum obvertat* Drusius l.11. observ. c.8.

E. & animam à parentibus propagari necessum est.

24. Excipiunt *ad hoc argumentum dissentientes* 1. Ut species *propagetur, satis esse, si compositum, quod generatur, sit species, ut leo leonem, bos bovem generet, etsi non omnes partes ab generante sint: sic & hominem generari ab homine, etsi non omnes partes ab eo trahat.* R. Ut species *generetur, & compositum generari oportet, & omnes compositi partes saltem essentiales propagari, sine quibus nec compositum, nec species esse potest. Ita in plantis & brutis non dabis speciem, nisi materiam & formam des: Idem quà genus propagationis habendum de homine, etsi modus specialis propagandi variet. In brutis per eductionem ex potentiâ materiæ, in homine per specialem Dei operationem & traductionem.* 2. Exc. Quod bruta *propagant, id & homo. At animam vegetantem & sentientem illa propagant, rationalem autem non. E. nec homo illam propagant. R. At totam speciem bruta propagant, leo non animam sentientem & vegetantem solùm propagat, sed & leoninam, & sic generat leonem. Idem ergò & homo propagat, & sic speciem generat. Vegetans & sentiens* generales *tantùm formæ sunt, genus saltem corporis constituentes, non determinatam speciem, ut betam, rosam, leonem, asinum. Leo, canis, rosa, &c. generatur, non solùm vegetans aut sentiens. Homo peccator generat hominem peccatorem, sicut lupus lupum, & serpens serpentem, ait* Alsted. c. I. Th. Polem. q. 9.

25. 3. Exc: Sic eadem ratio *hominis & bruti erit in generatione, & educetur anima hominis ex potentiâ materiæ, ut bruti, nec homo erit nobilior bruto, quod tamen est. Et pertinet id potiùs ad perfectionem hominis, quòd anima ejus â generante simùl traduci nequeat, ut bruti, sed creatione adveniat.* R. Distinguendum *inter propagationem ac vim, & propagationis modum specialem. Propagatio & vis in genere hominis & bruti est eadem, species generando propagat totam speciem, quod*

 iisdem

iisdem verbis jubetur homo facere, ac brutum. Gen. 1. v. 22. 28. *Et ut brutum totius naturæ suæ semen in se continet, quo speciem suam propagat: Ita eadem virtute seminali species humana instructa esse debet, nisi inferior bruto in propagando esse debeat. Modus propagandi specialis variat, ut ante dictum. Sic eadem est ratio bruti & hominis quoad necessitatem moriendi,* Eccles. 3. v. 19. 20. *quoad statum specialem post mortem longè est diversa. Hic prærogativa hominis præ bruto manet.* Dices: In eo est *nobilitas hominis præ bruto, quòd anima ejus creetur, bruti generetur. At perfectior est ratio producendi, creare, quàm generare.* R. 1. Si in *eo est hominis nobilitas, E. homo non generabit hominem, nec natura humana generando propagabitur, nec perinde efficacia erunt verba benedictionis divinæ in homine, ac in brutis, quæ omnia sunt inconsistentia.* 2. Etsi *creatio ad perfectionem modi producendi faciat, non tamen ad perfectionem subjecti producentis, sic enim perfectius subjectum est, quod generando producere valet speciem, quàm quod hoc non valet, ut Eunuchus: & qui totam rem producere valet, quàm qui partem. Ita si bruta totam speciem propagant, homo partem tantùm, inferior erit homo in propagando, quàm brutum. Est enim propagare vis debita homini ex instituto divino & conveniens, non indebita, ut vis saltandi, citharisandi, saliendi, &c.*

26. 4. Exc: Impossibile esse, *animam humanam generando propagari, quia spiritualis, immortalis est, quæ sunt ingenerabilia. R. Ostensum est, Dei mandatum fuisse, ut species generando propagarentur. Iam adducitur impossibilitas rei. At non habendum apud Christianos pro impossibili, quod Deus fieri voluit, & cui benedixit. Nihil enim ipsi impossibile.* Gen. 18. v. 14. Luc. 1. v. 37. *Impossibilia naturæ possibilia sunt Deo, ait Plato. Et novit ille modos possibile faciendi, quod nobis videtur impossibile.* Zach. 8. v. 6. *Sic promiserat Abrahamo effæto*

fœto filium. Gen. 17. v. 16. 17. *Dic tu, impossibile esse, effœtum generare filium. Qualis is erit apud Christianos disputandi modus?* Deinde, *quod immortale est, sc. ut subsistentiam absolutam & separatim totalem habere debeat, id propagari non potest. Ita angeli, dæmones. Sed anima humana subsistentiam partialem habere, & forma corporis sui esse debuit ex vi ordinationis divinæ. Unde in Adamo integro nunquam ad statum separatum pervenisset, & hodiè si perveniat, violentum & præternaturale illi est, unde unionem & dependentiam à corpore vicissim desiderat. Tale quid quî propagari queat, Deo cognitum erit, quando propagari debere Deus ordinavit, & peculari benedictione confirmavit. Sic* corpus Adami *fuit immortale ante lapsum, concedentibus Iesuitis,* Cor. à Lapide in c. 1. Gen. v. 26. Bellarm. l. d. gra. pri. hom. c. 9. Pererio l. 5. in Gen. q. 2. n 145. 146. Becano p. 1. Th. sch. tr. 5. c. 3 q. 2. n. 5. & c. 4. n. 1. *alisquè; & tamen generatione humanâ propagari debuit, non obstante immortalitate, concedentibus iisdem.*

27. Excip. 5. Verè homo *gignit hominem, etsi animam non gignat, quia suppeditat materiam hominis, & ita est causa unionis animæ & corporis, unde homo exsurgit: suppeditat ultimam dispositionem ad introducendam formam, & ita occasionē unionis dat, per quam anima & corpus unum fiat, & sic compositum prodeat: suppeditat corpus taliter organisatum, ut talem, i. e. humanam animam requirat, & sic est causa animæ saltem mediatè mediante corpore, talem animam requirente, unde porrò compositum homo, ex animâ & corpore conflatum exsurgit. At qui hoc facit, compositum producere dicitur. Nec ut efficiens producat totum, necesse est, omnes partes producat: nam natura in agendo materiam non producit, sed præsupponit, sic & artifex materiam præ requirit: Ita & in generatione hominis esse potest. Generabit homo totum hominem, etsi non totum hominis. Sic hominem occidere dicitur, qui tantùm corpus interimit,*

Ita & generare, qui solum corpus producit. R. 1. Qui materiam rei *suppeditat, nondum generat, Generatio est similis substantiæ viventis productio*, V. t. 23. *Vivens a. nullum sine animâ esse potest. Non generabit leo leonem, si solum corpus sine animâ suppeditet. Animalia viva generantur, non sine vitâ: Et vita sine animâ non consistit.* 2. Nec is *causa unionis formæ cum materiâ, qui materiam suppeditat: sed qui animam corpori immittit. At per illos Deus hoc facit, creando infundens animam, non homo. Et est unus numero actus & formæ creativus, & materiæ unitivus: debet enim forma informare materiam; non ergò priùs uniri, postea produci debet, sed unâ eademquè actione & uniri & produci: ut pictor eadem actione & dealbat, & albedinem unit parieti. Vnde qui creat animam, is simùl & unit eam corpori. At Deus illud præstat. E. & hoc.* 3. Ultimam *dispositionem ad uniendum aut generandum dare nondum est generare, sed materiam ultimò ad generandum præparare. At homo non præparare tantùm, sed generare dicitur, i. e. formam cum materiâ unire, & sic compositum producere. Vltimâ dispositione materiæ præstitâ posset Deus adhuc non infundere animam. Ita nondum esset homo, etsi ultima dispositio adesset. Nec generari tantùm dicitur homo, sed & concipi,* Gen. 4. v. 1. Psal. 51. v. 8. Matth. 1. v. 20. Luc. 2. v. 21. *Vnde non ultima tantùm dispositio ad hominem est ab homine, sed & prima. Vltima dispositio nondum est species aut individuum. At species propagantur, & individua generantur. Spiritus vitalis in semine etiam ad ultimam dispositionem facere potest, nec tamen illum generare dices. Si homo ultimam tantùm dispositionem præstat, & sic applicationem ad generandum facit, agit tantùm moraliter, ut qui stupam ad comburendum applicat. At parentes sunt causæ liberorum naturales, non morales.* 4. Corpus ad talem *animam recipiendam organisatum suppeditare nondum est speciem & individuum sibi simile*

naturaliter

naturaliter generare, nec leo leonem generasse dicetur, si corpus ad animam leoninam organisatum producat; animam verò non propaget, sed ea aliunde originem trahat. At homo hominem & speciem generat, non tantùm corpus organisatum. 5. Ut efficiens *qualecunquè efficiat rem, non opus est, quasuis partes sufficiat: sed ut naturale generans sit, partes essentiales & integrales principales sufficiat oportet, secus minùs propriè generans dicetur. Id in plantis & brutis patet. Eadem analogiâ de homine colligendum, etsi modus specialis variet. Artificiales operationes temerè hic adducuntur, quæ sunt ab extra inducta: hic de naturali generatione quæritur, quæ ab intra procedit. Generatio est materiæ & formæ suppeditatio, & similis substantiæ viventis productio.* 6. Inter totum *hominem & totum hominis hic distinguere nihil est. In operationibus distinguendis id procedit: sic totus homo ridet, sed non pedes: non generatione aut præsentiâ rei ad rem. Hic tota res & totum rei perinde se habent. Et quædam dicuntur de toto propter partes, In his à totâ re ad partes benè proceditur: Vt homo videt, E. oculus videt: Quædam primò de toto, non de partibus, Vt homo occiditur, moritur, non corpus, non anima. In propagatione rectè dices: Homo propagatur, Quia corpus & anima propagantur.* 7. Qui corpus *occidit, hominem occidere dicitur, quia animam à corpore separat & sic compositum dissolvit. E. è contrario, qui generat hominem, animam cum corpore uniri facit, & sic conjungendo compositum producit. E. homo id præstabit, non immediatè Deus.*

28. II. Sic *arguimus*, A vi divinæ benedictionis: *Qualis est vis benedictionis divinæ in brutis & plantis, talis est & in hominibus, non minor. Æquè enim homini benedixit ac brutis.* Gen. I. v. 22. 28. c. 5. v. 2. c. 8. v. 17. c. 9. v. 1. 7. *Nec credibile, magis efficacia esse verba Dei in plantis & brutis, quàm hominibus: Imò efficaciora in his quàm illis censenda sunt, quò*

præstantioris naturæ hi præ istis. At talis est in brutis & plantis, ut illius virtute totæ species propagent totas species. Gen. 1.v.11.22. *& quicquid ad essentialem earum perfectionem pertinet. Dei enim benedicere est benefacere. E. & illa vis benedictionis erit in homine, & sic totus homo generabit totum hominem, adeoquè consequenter cum corpore & animam, potissimam totius partem propagabit, absquè quâ homo esse nullâ ratione potest. Quæ ad hoc argumentum excipi possint, ex* th.24. 25. *seq. solutionem habebunt.*

29. III. A vi traductæ originalis corruptionis *arguimus. Si peccatum originis traducitur per generationem â parentibus in liberos, necesse est & ejus subjectum primarium & inhæsivum traduci. Nullum enim accidens traducitur sine subjecto, in quo est, & extra quod esse non potest. Peccatum a. originis est accidens, ut communiter tenent Theologi. Sed peccatum originis propagatur per generationem naturalem à parentibus in liberos, ut ex* Psal.51.v.7. Gen.6.v.5.c.8.v.21. Job. 15.v.14.c.25. v.4. Rom.5.v.12. Ephes.2.v.3. *contra Pelagianos & Photinianos ostendunt Theologi, & solvendo exceptiones illorum ad hæc loca ostendetur in discursu. E. & ejus subjectum propagatur. At hoc principale & inhæsionis est anima humana, non caro, non totum compositum, ut* th.15.16. *ostensum. E. & hanc propagari à parentibus est necesse. Hoc argumentum in hac materiâ firmissimum est, & rectè dixit* Augustinus ep. 28. *ad Hieronymum, &* 157. ad *Optatum, se nec legendo, nec orando, nec ratiocinando invenire potuisse, quomodo cum animarum creatione peccatum originis defendatur, fatente* Bellar.c.l.c.11.

30. Variè *in hoc argumento solvendo se torquent dissentientes.* 1. Quidam excipiunt, *peccatum non esse in solâ animâ, aut corpore, sed toto homine & composito, quod quia generetur à parentibus, ut proximis instrumentis generantibus, consequenter & naturæ ordine peccatum ab illis trahat.* Junius

nius

nius in c.2. Gen.v.7. Pareus in c.5. Rom.v.12. & l.4. in Bellar.c.12. Alsted. Encycl. c.l. aliique. *R. Subjectum totale & denominationis peccati est homo: radicale, principale & inhæsionis est anima humana. Si hanc à parentibus non traduci concedent dissentientes, nunquam rationem veræ traductionis peccati à parentibus in liberos explicabunt, sed vel Deo ἀνομίαν adscribent, vel traductionem peccati in totum negabunt. Naturæ pravitas ortum habet ex partium pravitate, rectè apud* Chamierum c. l. §.2. Pighius. *Si homo corruptus totus, E. partes ejus corruptæ.* 2. Alii excipiunt, *Iudicium Dei parentum naturæ incumbens etiam in liberos necessariò transire, quo Deus justè privat justitiâ originali animas liberorum, quomodocunquè tandem fiat peccati propagatio. Præstat ignorantiam propagationis peccati fateri, quàm animam hominis generabilem & mortalem quasi pecudis statuere. Ita* Pareus c. l. *R. Iudicium Dei justè non potest in liberos transire, si animæ illorum nec in se nec in parentibus peccârunt: Nec potuerunt in parentibus peccare, si ab illis non ortum trahunt, quocunquè etiam modo fiat.* V. c. 18. *Nec justè illi privantur bonis, qui nec in se, nec in aliis aliquid commiserunt: Nec committere potuerunt, si in lumbis eorum non fuerunt, & per naturalem generationem parentum ab ipsis traducti fuerunt. Non possunt animæ privari rectitudine, ut corruptæ sint,* quia non præcessit causa hujus privationis, peccatum aliquod actuale harum animarum, sicut in Adamo lapsus præcessit privationem ut, pœnam, *inquit* Sohnius in Exeg. Aug. Conf. T.2. p.564. *Recessus divinæ gratiæ & privatio rectitudinis est pœna peccati, Non enim Deus deserit suâ gratiâ hominem, nisi prius deseratur ab homine. Ergò animam peccasse oportuit, antequam Deus suam gratiam ei subtrahat. Sed quomodo peccare in Adamo potuit, nisi ab ipso tracta sit, in quo ei peccatum Adamiticum imputetur, & sic misera facta sit. Non enim peccavit anima, ut anima, sed ut ab A-*

damo tracta est. Sic homini podagra adnascitur, non quà homo est, sed quà à podagrico parente derivatur. 2. Propagationis ignorantia satis in confesso est, quando modus ejus specialis incognitus esse asseritur. V. t.22. *Nec ex generali propagandi modo statim sequitur specialis, ut velut bestiæ propagemur,* Vid. loc. cit.

31. 3. Alii peccatum *originis in carne hærere putant, & ejus contagione animam infici. De his actum* th.15.16. 4. Alii excipiunt, *animam peccati ream, etsi non trahatur ab Adamo, quia sit pars hominis, qui trahatur ab Adamo. Generationem terminari ad compositum, non hanc illamvè partem. Esse animam hujus Apostatæ & hominis execrati, qui apostataverit in Adamo.* R. 1. Si homo *trahitur ab homine per generationem, necesse est & partes essentiales inde trahi, sine quibus homo non est homo. Inter has potissima est anima rationalis, sine quâ adeò non cogitabis hominem, ut nec leonem sine formâ leoninâ.* 2. Ex eo, *quod sit pars hominis polluti anima in se insons & pura, injuria ei fit, quod compositi polluti pars fiat. Ita injuria redundabit in illum, qui ipsam facit partem compositi polluti, qui est Deus, animam corpori conjungens & infundens.* 3. Si *anima non trahitur à parentibus, nec corpus humanum inde trahitur, sine animâ enim humanâ nullum corpus est humanum, nisi æquivocè, sicut cadaver humanum est corpus humanum. Et sic nihil trahitur ab parentibus.* 4. Si anima *sit pars compositi, quod impurum, quæro, unde hæc impuritas in composito? Aut à corpore, quod non, Vid.* th.15.16. *aut ab animâ, at sic animam impuram esse oportebit. Sic impura erit vel à Deo creante, quod blasphemum, vel à parente propagante, sic traduci eam oportet, quia accidens ejus, impuritas culpa & macula & reatus, traducitur, sic habetur intentum.* 5. Vt *principalis radix functionum & operationum in corpore est ab animâ, sic & macularum & peccatorum. Compositum est vi-*

vum,

vum, sentiens, rationale, per & propter animam, quam in se habet: non anima est viva, rationalis, propter compositum, cujus pars est. Sic & compositum est corruptum & maculatum propter animam, quæ corrupta & maculata à parentibus trahitur, non anima est vitiata propter compositum, cujus pars sit. 6. *Si ob id anima maculatur, quod sit anima hujus Apostatæ, qui apostatârit in Adamo, Cur Deus animam in se insontem jungendo corpori facit animam talis Apostatæ? Ita macula in Deum jungentem recurret? Et qui potuit homo apostatare in Adamo, si secundum primarium peccati & apostasias subjectum, animam, nec fuit in Adamo, nec originem ab eo traxit? Non potest homo esse Apostata, nisi prius anima ejus apostasias sit rea.*

32. 5. Alii *excipiunt, animam esse puram secundum suum esse, ut à Deo creatur, sed ut actu est pars hominis & forma corporis, sic & effectivè ab homine totum compositum generante attingi, & cum hoc compositum ex primo parente trahatur, qui voluntariè peccavit, consequenter & animam ex hac parte cum naturâ peccatum contrahere. Ita* Alvaretz ut th. 5. Becan. p. 2. T. 1. Th. Sch. c. 9. p. 8. §. 5. *nec abnuunt* Conimbricens. in 1. d. gen. & corr. c. 4. q. 13. a. 2. *Resp: Inutilia hæc pigmenta sunt. Si anima pura in esse, non potest reddi impura in subsistere.* V. th. 19. *Si compositum trahitur ab Adamo, & anima non, non potest illud esse spurcatum, quia primaria peccati radix est in animâ, non corpore aut supposito.* t. 19. 28. 29. *Si effectivè compositum attingitur ab generante, & forma ejus principalis traducatur oportet, sine quo compositum non est compositum. At hoc est anima rationalis. Et hæc ergò à generante trahitur, quocunquè modo id fiat.* V. t. 22. 6. Alii *doctrinam de traduce ad peccatum originale haud esse necessariam putant, ut* Arminius in dis. priv. p. 73. Bellarminus c. 11. & Becanus p. 1. Th. S. tr. 5. c. 1. q. 2. n. 6. par. 2. c. 1. n. 3. *addunt, animam*

 justi-

justificatam etiam animam justam propagaturam esse, si traduce fiat propagatio. Adamum ante generationem justificatum à peccato fuisse. R. *Quî tradux ad peccatum originis faciat,* th 29. *dictum. Scriptura nos carnem de carne nasci affirmat.* Joh. 3. v. 6. *& naturâ filios iræ.* V. loc. c. *Justificatio animæ non facit animam justam, quia generatio fit* opere naturæ, non gratiæ, *secundum reliquias vetustatis, non primitias novitatis. Homines generant, quà homines sunt, non quà renati sunt. Homines nascimur: Christiani renascimur & fimus, non nascimur. Confer ipsum* Becanum p. 2. Th. Sch. c. l. §. 4. *Et concedit* Bellar. c. l. c. 10. object. 6. *Addens, homo justificatus non communicat cum filio justitiam, quæ est accidens personale, sed naturam, qualis post Adæ peccatum per se est. Similia* cap. 11. *habet.*

33. 7. Alii *excipiunt, peccatum esse ens non Physicum, sed* morale, *& esse in animâ per modum habitus, ut jus, servitus, dominium. Non ergò esse ejus quærendas causas physicas, sed tantùm morales. Sic produci moraliter in primo instanti unionis animæ & corporis ex peccato Adami actuali & naturali generatione, quæ velut substituens & applicans subjectum sit, in quod actuale peccatum Adami habitum suum generet. Ut qui lignum applicat igni ad comburendum. Sic eo ipso instanti, quo nascitur filius principis, causetur in eo jus & dominium ab actuali contractu patris, avi, &c. Ita* Becanus c. l. *R. Hæc etiam nodum non solvunt.* 1. Anima, *quæ corpori jungitur, aut pura jungitur, aut impura. Utrum dixeris, redeunt difficultates,* th. 13. 14. *tactæ.* 2. Aliud *est servitus, aliud servilis natura, seu servilitas. Illa reatus & effectus politicus est: Hæc defectus Physicus, ut cæcitas. Illa à causâ remotissimâ & morali produci potest: Hæc etiam causam Naturalem, saltem deficientem & proximam requirit, ut cæcitas. Potest servus nasci, ut tamen non sit servilis, seu habeat ingenium & naturam servilem,*

vilem, sed liberalem. *Nos non servi tantùm ex Adamo nascimur, i. e. reatui obnoxii, quem ex prævaricatione ejus habemus, sed & serviles, seu* servilis naturæ *in spiritualibus, i. e. ad bonum emortui.* Ephes. 2. v. 1. *in omne nefas effusi.* Gen. 8. v. 25. *Hanc non nisi à causâ Physicâ habere possumus.* 3. Si in primo *instanti conjunctionis causatur moraliter peccatum originis, aut ex ipsâ conjunctione causatur, aut ab animâ, aut ab infundente animam, aut ab corpore.* Si primum, *quia conjunctio est relatio, ergò relatio tantam culpam tantumquè reatum causabit, ut omnes damnationi simus subjecti. At relatio ens est minimæ omnium essentiæ, quis credet, tàm ingentis eam esse efficaciæ? Non plus virium quid habet, quàm quantum habet essentiæ. Deinde qui conjunctionem præstat, non erit immunis ab istâ maculâ, quæ ex conjunctione causatur. At is secundum istos est Deus. Sic ille maculæ author?* Si per accidens ex conjunctione esse maculam *dixeris, quorsum* Zanchium c. 1. *respicere video, nihil proficies. 1. enim ipsa subjecta sunt impura, non demùm ex conjunctione impurantur. Vnde & immundi concipimur.* V. t. 29. *At ex conjunctione rerum impurarum non per accidens, sed per se oritur impuritas, quomodo aqua sordida non potest nisi sordidare lavantem, & æthiops non potest nisi nigrum gignere,* Jer. 13. v. 23. 2. Impuritas *ut accidens primò hæret in substantiâ, ut vero subjecto, non alio accidente, quale est conjunctio. Accidens enim non est in alio accidente ut subjecto, sed substantiâ, mediantibus tamen accidentibus. Per 3.* Metap. c 4. *Ita & hic impuritas primò erit in substantiâ, non accidente. Illa vel erit corpus, quod non, per* th. 15. 16. *Vel anima, & sic habetur intentum. Si in animâ est peccatum, Vnde peccatrix illa, si ab Adamo originem sui non trahit?* Vid. t. 28. 29. *Si ab infundente animam, ita Deus in labem trahetur.* 4. Peccatum *originis non solum moraliter causatur, sed & naturaliter, quatenus & physicâ generatione*

propa-

propagatur, & naturam hum. ut hodiè est, subjectum agnoscit, & eandem penitissimè pervadit & corrumpit; instar lepræ & pestilentiæ, ut concedit Bellarm. c. l. c. 10. *ad obj. 7. ex* Ephes. 2. v. 3. *Sic & congeneratur naturaliter, ut scabies, morbus, pestilitas, elephantiasis, &c. Vnde non meræ causæ morales ejus quærendæ, sed & naturales, si non perficientes, saltem deficientes. Nec mera privatio est, ut Iesuitæ volunt, Qui enim in animâ velut servitus, jus, dominium, & habitus esset, ut concedit* Becanus, *quæ entia realia esse nemo ignorat: Nec mera infirmitas & languor est, ut* Cinglius *voluit, & qui* eum *sequuntur,* Arminiani in apol. Conf. c. Leidens. c. 7. s. 4. p. 84. 85. *sed & verissima corruptio, & tanquam habitus pravus.* V. s. 15. *Quale quid primò in animâ esse oportet.*

34. IV. *pro nostrâ sententiâ argumentum* â naturâ traductæ in integritate imaginis divinæ *ducimus hoc modo:* Ut imago *divina se quoad propagationem habuit in statu integro, ita se peccatum originis habet in statu corrupto. Successit enim in locum illius, & ut ista naturam perfecit, sic hoc corrupit. At imago divina in integritate ita se habuit, ut per generationem in homine naturaliter propagari debuerit, & fuit principaliter in animâ humanâ ut subjecto primario, quippe verissima sanctitas & justitia.* Ephes. 4. v. 24. Conf. t. 16. *adeoquè propagatâ imagine divinâ & subjectum ejus, anima humana propagata fuit. E. & peccatum originis ita se habet, ut naturali generatione propagari debeat, & consequenter subjectum requirit, cujus ratione propagetur. Quod quia est anima, & hanc per parentes propagari necessum est, quocunquè modo id fiat. Hinc post lapsum Adam dicitur genuisse filium* ad imaginem suam, Gen. 5. v. 3. *i. e. carnem de carne.* Joh. 3. v. 6. V. A naturâ regenerationis *arguimus: Si totus homo & quà corpus & animam regenerari debet, necesse est & quà corpus & animam originem à parentibus trahat. Nam ubi regeneratio novitatis, ibi præsup-*

ponitur

ponitur generatio vitiositatis & corruptionis. Nihil enim regeneratur, quod non sit pollutum: nihil in homine pollutum esse potest, quod non originem trahat à parentibus. At totus homo ita regenerari debet. Joh. 3. v. 3. 5. 6. Tit. 3. v. 5. *ut & spiritus, anima & corpus impolluta sint in adventu Domini nostri Iesu Christi,* 1. Thes. 5. v. 23. *At non solum corpus est pollutum, sed vel maximè anima. E. & quà corpus & animam originem à parentibus trahit homo, & consequenter etiam animam humanam à parentibus propagari necesse est.*

35. VI. Arg. à testimoniis Patrum, *Adversariorum & Philosophorum sumimus.* Ex Patribus *quia in hoc argumento peculiaris enituit diligentia* Augustini, *qui in materiâ Pelagianâ de peccato originis diligentissimè exercitus fuit, meritò ejus authoritas loco multorum nobis esse debet. Eum autem sententiæ de propagatione animarum favisse ex diversis locis patet. Testimonia Vide ap. allegantem* D. Gerhard. T. 2. Loc. Com: d. imag. dei §. 126. Gregorium M. *à traduce animæ ob argumentum de peccato originis non alienum fuisse ex* l. 7. epis. 53. *ad Secundinum apparet, etsi alteram sententiam non damnârit.* Hieronymus *in epist. ad Marcel. refert, maximam partem* Occidentalium *in hac sententiâ fuisse, & fatetur* Sohnius T. 1. exeg. A. C. p. 564. Zanchius l. 2. d. hom. q. 4. th. 2. n. 7. Ex Adversariis Brightus l. 1. in Phy. Scribon. p. 12. 13. *eam præstantissimis Philosophis & gravissimis Theologis probabilem videri ait.* Martyr. clas. 2. L. C. loc. 1. §. 47. *fautorem eam Tertullianum & ex veteribus plerosquè habere refert.* §. 49. *non posse eam everti ex S. litteris concedit.* Sohnius c. l. p. 563. *apertè fatetur, ex toto homine totum hominem convenienter procreari, corpus ex corpore excitari, animam ex animâ velut accendi, & sic peccatum ex homine in hominem propagari, & propagationem fieri non secundum corpus tantùm, sed corpus & animam simùl, utriusquè tamen naturæ convenienter. Et Augustini sententiæ subscribit.* Musculus L. C. d. pecc. § 3.

fatetur, virum venenum peccati naturali propagatione in omnem posteritatem transfudisse. Si peccatum propagatione transfunditur, necesse est & ejus subjectum eadem propagatione transfundi, quod est anima. Vorstius *in* Antibellarm. T. 4. ad. th. 8. *superbam* Bellarmini *audaciam damnat, quòd sententiam de creatione animarum tanquam articulum fidei cum credendi necessitate obtrudat, cum res obscura nec ad salutem pertinens, adeoquè extra necessitatis opinionem sit: nec in sacris clarè definita. Rationes Bella. & Scholasticorum non esse adeò apodicticas ait, ut refutari non possint: nec rationes pro traduce adeò frivolas, ut contemni mereantur. Propagationem animæ defendentes meliùs & faciliùs traducem peccati, quàm alios explicare posse.* Pareus in c. 5. Rom. v. 12. *clarè asserit, animam, licet non trahatur ex Adamo materialiter, trahi tamen inde originaliter, quia omnis anima humana, ut est pars hominis, trahatur à parentibus ratione totius, siquidem non anima ex animâ, nec corpus ex corpore, sed homo totus ex homine toto nascatur, nec anima aut corpus dicatur filius Adæ, sed totus homo. Planè hæc quoad rem nostra est sententia. Eandem de propagine animarum sententiã sequitur* Brightus c. l. & Bilstenius l. 1. dial. c. 5. Goclenius *probabiliter eam disseri posse fatetur,* in advers. ex: 29. Keckermañi & Peuceri *authoritates* th. 6. *sunt adductæ.*

Ex Photinianis Smalc. c. Frantz. d. 2. t. 18. *ait, sicut ab parentibus habemus hanc vitam temporariam & ita corpus & animam: sic ab spirituali patre æternam nunc in spe habemus, olim reipsâ habituri sumus. Ex Papistis* Bellar. l. 4. d. pec. c. 11. *ex Augustino concedit, nullum fortasse locum in sacris inveniri, in quo perspicuè doceatur animas non fieri ex propagine, sed creari. (Miror, non occurrisse ei locum* 2. Ma 7. v. 22. *quem urgere potuisset, qui librum pro Canonico agnoscit)* Idem l. 5. d. pec. c. 7. *apertè fatetur, peccatum Adami personale, in nobis originale, communicari nobis per generationem eo modo, quo communicari potest id, quod transfit, nempe per imputationem. Hæc nisi animâ simul propagatâ consistere non possunt,* V. t. 30. 31. Ex Philosophis Aristoteles *non obscurè pro hac sententiâ facit.* l. 2. Phys. c. 1. t. 13. *ex homine fieri hominem ait, sed non lectum ex lecto* c. 2. t. 26. *hominem generare hominem ait, Quod* l. 2 d. gen. & corr. c. 6. t. 39. *repetit.* l. 2. d. anim. c. 4. t. 39. *genitum esse specie simile gignenti, &* t. 34. *naturalissimum opus in viventibus esse dicit, facere aliud, quale ipsum est, animal quidem animal, plantam* autem plantam, *totam speciẽ propagare. Atq. hæc de nostrâ sententiæ κατασκευαστικῶς disceptata esse sufficiat. De appendice nostræ sententiæ* d. 4. th. 2. *dicetur.*